



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

7. Alexander Henrici Legatos Senonis audit, & paulò post S.
Archiepiscopum, qui causam in sacro Consistorio dicit, postea resignat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

medentium culpâ corruptum, veneno in plagas profuso. Falli, qui credant me, aut immemorem beneficiorum esse, aut amorem, & reverentiam exuisse Principi debitam: imò ingratus & hostis essem, si quod illi faciunt, alluderem pereunti, nec revocarem in præcipitio pendentem: silerem ergo, & facem ferrumque possiderem perire volenti? Hoc non possum. Vivat Henricus Princeps, audiâtque saniora monentem, si fieri potest; si non potest, pereat saltem me innocente, & ad funus plorante. Hæc Episcopis meis ingerebam, à quibus cum non audirer, nec flagitium jam coeptum abrumperent, quid aliud supererat, quam ut Romam, Christi que Vicarium appellarem? Appellavi, & hanc ultimam naufragij tabulam amplexus sum: nec possunt ægris animis id accipere, aut vitio mihi vertere: si enim innocens sum, cur damnant? si Reus, cur judicem formidant? (a)

Hæc Archiepiscopus Alexandro Papæ, qui, datis ad eundem litteris, (b) acta, & sententias in illum dictas rescidit. Legati interim Angli Compendium ad Regem Christianissimum venere, porrectoque libello criminationibus pleno, multa ex suo addidere, quibus innocentiam Cantuariensis onerabant: initium libelli erat: *Thomas quondam Archiepiscopus.* (c) Erroganti instantique Regi, quis ergo Thomam Archiepiscopatu exuisset? cum ambigüe responderent, in hanc vocem erupit Christianissimo Rege, & immortalitate dignam: *Planè sicut Rex Anglorum, ita & ego Rex sum; veruntamen minimum de Clericis meis deponere ego non valerem.* Paulò post Legati ab Archiepiscopo secuti sunt; sic enim imperaverat, ut Regios unius tantum diei intervallo, & inobservati sequerentur, quod & ab illis tantâ simulatione factum, ut & laterent, & omnia ad Archiepiscopum referrent. Cum ergo causam Domini perorassent, adeò Regem flexere, ut suspirijs, gemituque dolorem testaretur, & Regnum suum Sancto offerret, adjecitque: *Hoc expressimo more, exemplisque Regum Galliarum esse, ut exules, & præsertim Ecclesiastica persona, in Regno suo à persecutorum injurijs defendantur.* (d)

VII. Senonis Alexander Papa Henrici Legatos accepit: magno hi apparatu incedebant, multoque auro, quo aulam expugnarent,

H 2

gnarent,

(a) Vid. Roger. in Annal. Anglor. ad ann. 1165. (b) Lib. 1. Epist. 49. in Cod. Vat. (c) Heribert. in V. lib. 2. cap. 7. (d) Id. ibid.

gnarent, instructi, aded, ut Saresberienſis in quadam ad Sanctum epiſtola malè ejus cauſæ ominetur, timeatque innocentiam donis ceſſuram: ejus verba ſunt: *Contra vos faciunt multa, pauca pro vobis; venient enim magni viri, divites in proſiſſione auri, quod nunquam Roma contempſit, eruntque non modo ſua, ſed etiam Domini Regis (quem in Curia nemo audebit offendere) auctoritate freti, &c.* (a) Et verò jam inter Purpuratos certamen erat, multis intempſtivæ ſeveritatis Sanctum damnantibus. Auditi ſunt in publico Senatu. Primus Londonienſis Sancto perpetuus æmulus, eum pertinacem, inquietum, ſuis conſilijs præſidentem, aliorum contempſorem dicebat: & cùm in fugam declamaret, auſus eſt illam ex Proverbijſ ſententiam uſurpare: *Impius fugit nemine perſequente.* Tum Pontifex petulantia offenſus: *Parce, inquit, frater.* Et Londonienſis: *Domine parcam ei.* Cui Pontifex vultu indignationis, & majeſtatis pleno: *Non dico, frater, quòd ei parcas, ſed tibi.* Quà voce aded percuffus eſt, ut obmutefceret ſtupido ſimilis. Excepit Hilarius Ciceſtrenſis Epiſcopus, & ipſe aut ignorantia, aut Dei voluntate Sanctum vindicantis ludibrium meritus; cùm enim ei inſultaret inter alia: *Id parùm attendit Dominus Cantuarienſis, relicto maturiori conſilio ſe ſolum conſuluit, & ſic ſibi, & ſuis, & Regi, & Regno, Populo & Clero graviores labores procrearet, quod circa virum tanta auctoritatis non decuit, non oportuit, nec aliquando oportuebat, inſuper ſuos, ſi ſaperent, non oportuebat ſibi in talibus patrocinari.* Omnes in riſum ſoluti errore toties in grammaticam repetito, tantòque magis, quòd eloquentiam ambiret, ſibi que blandiretur; exclamavitque unus: *Malè tandem veniſti ad portum.* Ille rubore ac ludibrio confuſus, orationem abruptit, tacuitque. Eadem Eboracenſis, & Exoniienſis repetebant. Sed omnium modeſtiſſimè, parique elegantiâ (b) Comes Arundeliuſ peroravit, ut mirum ſit, plus iſti in Archiepiſcopum reverentiæ, quàm Epiſcopis fuiſſe. Summa petitionis erat: mitteretur à Summo Pontifice in Angliam Legatuſ, qui appellatione remotâ cauſam Archiepiſcopum inter, Regemque finiret; addebantur precibus minæ intentato ſchiſmate Pontifici terrendo. Et verò diu hic hæſerat animi, conſilijque dubiuſ; magna erant Henrici in Alexandrum, & recentia ſtudia, nec minor ab eo metus, ſi deficeret, quippe potentiâ, ac annis florente; hunc ergo

(a) V. lib. I. epiſt. 24. (b) Vid. Vit. lib. 2. cap. 9.

ergo tam alieno tempore, & adhuc supplicem offendi, plenum periculi erat, præsertim non paucis Purpuratorum, & plerisque in Anglia Episcopis Regem tuentibus, quod ne metu facere viderentur, tituli, & colores quærebantur fucandis mendacijs. Ex aduerso quantum criminis erat, innocentem, profugum, & aras amplexantem repellere, ac Angliæ reddi, insidijs inimicorum certæque morti expositum? hæc præmia esse pro Ecclesijs pugnanti? quos animos Regem sumpturum, si gratia sceleri præstetur, reum simul victorémque? nullam amplius fidem Romano Pontifici fore, si eum, quem tot titulis fovere debebat, sinu excuteret, hostique proderet? nec enim aliud esse in Angliam, Insulam mari clausam mittere causam dicturum, quàm carceri, aut catenis innectere. Flexit in hanc partem animum Pontifex, Legatisque respondit, Archiepiscopo absente decerni nihil posse: præstolandum ejus adventum, nec diu abfuturum. Instabant tamen, urgebantque, Pontifice immoto; ergo discessum maturant, ne salutato quidem Alexandro. Interea Senonas Archiepiscopus pervenerat, humanissimè à Rege acceptus; nam & servos illi, & sumptus ex Regio ærario, & suppellectilem tantæ dignitati parem adjecit. Sic ad Alexandrum pervenit. Primi in aula congressus haud grati cecidère, avertis videlicet Cardinalium animis, malèque imbutis; eum siquidem tempestatis in Anglia auctorem credebant, nimiam in Regem severitate. Alexander benignè accepit, audivitque causas exilij, fugam, naufragia, itinera pedibus acta, pericula, insidias, extremamque paupertatem, tantòque graviorem, quòd insuetam; quæ & dicenti lacrymas, & audienti expressere. Proximâ die in Senatum admittus est, iussusque Patribus, qui frequentes aderant, causas itineris, & calamitatum exponere.

Assidebat Alexandro proximus, parabatque surgere causam dicturus, sed prohibente Pontifice resedit, cæpitque summo omnium silentio & attentione dicere: quantâ apud Regem gratiâ floruerit, cum Cancellarium adhuc ageret: quantâ cum Archiepiscopatum iniisset: sibi intimas curas, sibi arcana Regni concredita: imò quo nihil charius, majorisque pretij, etiam Principis filium suæ fidei commissum: potentiam opesque gratiæ pares: nec finem felicitati futurum, si hanc, quàm conscientiam maluisset: potuisse

perennari fortunam obsequio Principis, & exilio virtutis; nec se earum artium ignarum, expertemque, quibus Principem parare, & obstringere posset: & fortè, cum aulicum ageret, plus illis indulgisse, quam modò vellet, aut excusari posset. Ubi Infulas induit, sacràmque Dignitatem inijsset, alias animo cogitationes, alias curas successisse: observasse se Principem excelsà quidem, & proclivi in pietatem indole, sed immoderatà, & alieni appetente, nec throno, aulàque contentum, nisi aris æquè imperaret: jam sponte suà ardenti eos facem subdidisse, qui gratiam à juvene per flagitia quærent, meritis inaccessam: se recenti adhuc malo rogasse, monuisse exemplis, legibus certasse: hinc primas ærumnarum fibras, quibus jam premeretur: molestum se primum, dein fastidio habitum, ac tandem odio: procul arcanis esse: rarò in aulam peti: alios in gratiam, curasque Regni admitti, tantò chariores, quòd Principi grata suaderent, nullo justì, injustique discrimine: & hæc ferri potuisse, cum necdum in extrema prorumperent. At verò, ubi expilari Ecclesias vidit, Sacerdotia confundi, profanis tribunalibus Clericos sisti, nec pecunià tantum multari, sed cædi etiam, proscribique, & limites omnes, qui palatia ab aris distinguerent, nullà Canonum, nullà legum reverentiã moveri, utque licentiùs, minorique verecundiã peccaretur, honestum consuetudinis titulum flagitijs imponi.

Hic enim verò simulationem se abrupisse, & cum bellum aut Deo, aut Regi indici oporteret, hunc se hostem, quam illum maluisse: hinc Regis in se odia, hinc Aulae Regi blandientis, & quod dici sine gemitu, & pudore non possit, hinc Episcoporum aversos à se animos, adeò plus Aula eis, quam Ecclesiæ cordi erant. Jussisse Regem, ut ijs flagitijs, quæ consuetudines appellabantur, subscriberet: moratum se esse, temporis ac meliorum fiduciã: & tandem apertè negasse? tunc Regis iram & palàm exaruisse, tunc amicorum fugam vicinam tempestatem formidantium: insidias sibi paratas, mortem conditam, & ejus exequendæ modos viasque perquisitas; quam cum eminus, clarisque indicijs observasset, Regno tandem cessisse: non hoc metui, non rumoribus, ut æmulli jaçtabant, sed necessitati, imò & amori in Regem datum, quem ab infamia parricidij liberabat, exilio sponte suscepto. Quæ verò
in

in exilio, à naufragijs, ab inopia, ab hostibus toto itinere sparsis, ab hyeme, inediâque pertulerit, malle ab alijs intelligi; nec enim se Pontificem appellâsse, ut ærumnas suas, sed innocentiam probaret. Illud tantùm rogare, ne crederent nullas, aut leves ob causas tantam fortunæ mutationem à se patienter susceptam, imò expetitam: imprudentem, imò fatuum esse, qui summam felicitatem ærumnis, & exilijs mutet, aut nullâ causâ, aut malis impari: nec se palatio nuper egressum: delitijs, gloriæque, ac Principum gratijs assuetum ex ijs esse, quibus gratis miseriâ placeant, nullôque pretio: Ecclesijs, libertati, ac Sacerdotum bono se miserum esse, quæ si aliorum exemplo Regiæ voluntati prodat, ceditque; paratas sibi opes, dignitates, Principis gratiam, fortunamque pristinâ florentiorem: hæc omnia parvo constare, obsequio videlicet, & uno calami tractu; idem fore, subscribendi, & florendi momentum: arbitrio suo stare, miser esse an felix velit, Ecclesijs tamen aulæ, prædæque relictis; & quantum hoc mali, si aliorum sententiâ, preces, & exempla spectentur? sed averteret Deus hanc mentem, non Episcopi hæc vota, sed latronis esse. Vitam se cupere, si honestis conditionibus possit; si non possit, honestiùs moriturum, futuro posteris exemplo, quid Episcopos deceat.

Hæc Archiepiscopus dicebat flagrante vultu, & Martyrem ferente, gestu intrepido, ac libertatem spirante, & quem Reges timerent juxtâ amarèntque: jam Patres commiseratione tangi tam indigna, & invictè patientis: sed penitus evicti sunt, cum tabulas, quæ consuetudines Regias continebant, sinu expromens, ostentansque indignanti similis, dolentique, adjecit: *En, Patres, servitutis vestre fatale decretum: hic compedes, hic catena, & flagella sunt, & quicquid mancipijs debetur: subite jugum, & cervices inscèntie, libertate proscriptâ: spoliari vos, cadisque, & profanis tribunalibus adsterni Lex Anglicana jubet: nec vocibus licentia, nec lacrymis est: ferro, ignique vel gemitus punitur: hujus ego delicti reus, & compertus sum: huic exilium meum, & naufragia, & rapinas debeo, crudelitate adhuc parcâ, & solum præudente: mox sanguis, & secures micabunt; vos interim sententiam edicite: licuit Episcopo tacere tam indigna, tam atrocía videnti? Ultimas has voces inter lacrymas dixit, nec ullus ferè in eo confesso fuit, qui fletu temperaret, (a) præsertim*

(a) Alaa. l. 2. c. II. Quibus perlectis moti sunt omnes usque ad lacrymas, &c.

fertim ubi lectæ consuetudines; tunc enim ab omnibus conclamatum, & constantiæ Archiepiscopi etiam ab ijs applausum, qui maximè damnauerant. Ipse Alexander primò excandescere, ac nimiam Archiepiscopi conniventiam accusare, quòd suo assensu eas consuetudines iuisset, Ecclesijs fœdissimâ servitute oppressis, postea placari, summisque laudibus ejusdem constantiam efferre, qui solus in acie perstaret, & tanto rerum omnium, ac vitæ contemptu Regios moraretur. Sic eâ die discessum, nec ampliùs dubitatum, non Archiepiscopi tantum, sed totius Ecclesiæ causam agi, nec ab illo severitate, ut quidam putaverant, sed indulgentiâ peccatum. Sequenti die revocati in Senatum Patres, ac thalamo interiore accepti. Ingressus Cantuariensis dejecto vultu, lacrymisque perfuso, se malorum omnium, quæ Angliam turbabant, auctorem profiteri; quippe tantæ Dignitati, & curis eam comitantibus se imparem esse, & aulæ potius, cui assueverat, quàm Ecclesijs natum: nec se id ignorasse, cum caput Infulis submitteret: repulisse eas quidem, sed tandem acceptasse urgente Rege; quòd Regem ergo Deo prætulisset, utrumque jam aversum expetiri; placandum ergo dimissâ Dignitate, quam sustinere non posset: hoc dudum sibi animo sedisse, distulisse tamen, ne in profanas manus tiaram deponeret: nunc tempus, & locum esse destinata exequendi. Tum annulum digito extractum Alexandro porrigens: *accipe*, inquit, *insignia funeste Dignitatis; reddo, à quo accepi: & olim exuissim, nisi illi expeterent, quos indignos credebam. In tuas manus depono; tuum erit Cantuariensi Ecclesiæ sponsum alium deligere me digniorem, & utinam feliciorem.* Hæc Archiepiscopus pari modestiâ, & fortunæ contemptu: repetitæ ab omnibus lacrymæ. Secedere jussu cœptum consultari, quid agi oporteret. Non deerant, qui placandi Regis obtentu alium Ecclesiæ Cantuariensi destinarent, cædendam esse hanc victimam publicæ quieti, & unius jacturâ redimendum commune naufragium: nec alias Infulas defore. Plerique nec decorum id esse, nec honestum dicebant, omniùmque tandem eadem sententia fuit, *Pharisæis*, ut inquit Alanus, *exceptis.* (a)

VIII. Revocatum ergo Pontifex Dignitati restituit, indiditque annulum, adjecit spem meliorum, & interim Pontiniacensi Abbati

(a) Alanus in V. l. 2. c. 12. Placuit omnibus sententia, præterquam Pharisæis, &c.